

ac consequenter in pristina sua malitia, ac vite improbitate, quam mutare et corrigere non possunt, nisi fidem et gratiam Christi amplectantur.

Quod ergo nolunt fidem Christi amplecti, causa est cur permanent mali et importuni: sic vulgo dicitur, non omnium est modestia, temperantia, castitas, quia multi nolunt suis concupiscentiis resistere sibi que vim inferre, sed volunt eas sequi, ac lascivire, inebriare se et fornicari.

Sic recte jam apud Indos dicitur: Non omnium, imo paucorum est fides, quia multi Indorum idolis, polygamie aliisque voluptatibus et vitis addicti nolunt fidem et legem Christi amplecti, ne idola, uxorum turbam aliasque voluptates relinquere cogantur. Fides enim et lex christiana res excelsa, ardua et heroica est, ad quam nemo perficit, nisi sua concupiscentiis generose superet et heroice seipsum vincat, ut mores christianos assumat. Et hoc significat hæc sententia: « Non omnium est fides, » scilicet quod fides non est hominum animalium et carnalium; sed eorum tantum, qui quasi heroes ad rem tam arduam conantur et gratia Dei cooperantur, vitamque spirituales, imo angelicam sectari contendunt.

Adde Apostolum non loqui hic de hæreticis, qui semel fidem Christi susceperunt et postea ab ea apostatarunt, sed de infidelibus, judaizantibus et Paganis, qui nunquam Christi fidem susceperant, sed illam impedire et evertere omnibus modis nitentur; qualis fuit Alexander serarius, ut fatetur ipse Paulus II *Timoth.* iv, 14. Ita Chrysostomus, Theophylactus et alii.

Dices: Fides est donum Dei; ergo non est in nostra, sed in Dei potestate.

Respondet negando consequentiam: fides enim non est donum Dei, sicut prophetia, donum linguarum, miraculorum, etc., sunt dona Dei: hæc enim a solo Deo homini donantur; sed fides est donum Dei eodem modo quo prudentia, fortitudo, temperantia cæteraque virtutes; imo omnia bona opera dicuntur esse dona Dei, quia scilicet Deus sua gratia ad actum fidei allarumque virtutum nos excitat et vocat; ita tamen ut nobis liberum relinquat huc gratia assentiri, vel dissentire; illam amplecti, aut respicere; cum illa operari et credere, aut illam negligere et nolle credere. Ita Theodoretus et alii. Vide dicta I *Corinth.* vii, 7, ubi explicui quomodo quisque proprium donum castitatis habeat a Deo.

3. FIDELIS AUTEM DEUS EST QUI CONFIRMABIT VOS, ET C. STODIET A MALO. — Hæc connectenda sunt cum vers. 2 capitis precedentis et ultimo ejusdem: ibi enim dicitur, quod Deus elegerit eos prioritatis in salutem, id est primitias fidelium et salvandorum, oravitque, ut Deus eos in omni bono confirmet: hic vero dicit Deus ita facturum, ut, quia fidelis est et verax, opus fidei et salutis, quod in eis orsus est, committet, perficiat et absolvat. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Quamquam non est necesse in hisce epistolis, utpote

aversio voluntas a deo est causa malitie.

Fides quomodo sit donum Dei, et tamen in nostra potestate.

note epistolice (quo scilicet varia familiariter sine connexionione ad amicos perscribuntur) scriptis, ubique connexionione quaerere.

COSTODIET A MALO. — a Satana, ut ipso vobis non prævaleat, inquit Chrysostomus et Theophylactus. Hic enim græce dicitur *ἡ πορνεία*, id est malus antonomastice, quamquam *τὸ πορνῆν* in neutro genere hic accipi potest, ut significet quodlibet malum.

4. CONFIDENS DE VOBIS IN DOMINO, QUONIAM QUÆ PRÆCIPIMUS, ET FACIENS, ET FACIETIS. — Quia dixerat fidelem esse Deum, ut perficiat in eis opus fidei, quod exæperat, ne jam existimantes, inquit Theophylactus, totum esse Dei, ipsi torpeant et segnes fiant, ecce hic cooperationem ab eis postulat, q. d. Deus quidem fidelis est, et omnia facit que sua sunt, si vos vicissim gratia Dei non desitis, sed cum ea operemini; ne vero hanc cooperationem suam sibi superbe arroget, addit: « In Domino, » id est in Domini gratia, ut indicet omnia a Domino Deique gratia pendere.

Denique non contentus dicere *facitis*, addit, *et faciatis*; ut significet continuo et ad extremum usque spiritum id faciendum esse. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

5. DOMINUS DIRIGAT VESTRA IN CHARITATE DEI, ET PATENTIA CHRISTI. — Græce *εἰς ἀγάπην τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ*, id est in charitate, sive dilectione Dei, et patientia Christi vos Deus dirigat.

Nota, « dirigat, » id est recto charitatis et patientie tramite incedere vos faciat, ut ab earumdem semita non aberretis, neque declinetis ad dextram, vel sinistram; hæc enim est recta ad perfectionem, ad salutem et ad cœlum via, si recta charitatis et patientie semita gradiamur. Optat ergo Paulus eos dirigi in charitatem et patientiam, quasi in rectam semitam ad salutem: multa enim sunt, que ab hæc recta semita nos conantur abducere, inquit Chrysostomus et ex eo Theophylactus, scilicet opes, gloria vana, afflictiones, tentationes, pericula; sed Deus his impedimentis, vel amotis, vel superatis, facit nos rectam insistere viam, eamque assidue prosequi.

Nota: Quivis Christianus, qui salutis suæ curam habet, assidue Deum orare debet, ut se in omnibus ita protegat, excitet, dirigat, sicut novit salutis sue expedire: ut per eas vias se deducat, quæ peccati non habent scandalum, quibus providet Deus hominem non lapsurum in peccatum, sed inoffenso pede per actus charitatis et patientie recta iterum ad cœlum. Hoc debet esse perpetuum nostrum votum et assidua deprecatio, cum in eo salutis nostræ cardo versetur, ut scilicet Deus nobis eam viam, eam statim, eam auxiliorum mensuram conferat, cum qua novit nos certissime salvandos; rursum, cum qua novit nos opus quod molimur, feliciter ad exitum perducuros. Felices, qui ita a Deo diriguntur, ut possint dicere: « Dominus regit me, et nihil mihi deerit; ipse deducit velut ovem Joseph (me) ! » De tali di-

Ver. 4

Cooperatio ad deum est voluntas Dei requiritur.

Recta ad perfectionem est saluta via.

Optima via est

ctur *Psal.* i: « Et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur. »

ET PATIENTIA CHRISTI. — *Primo*, ut Christi patientiam imitemini, inquit Anselmus. *Secundo* et melius, « in patientia, » id est ad perseverantiam et patientem expectationem Christi, ejusque glorie et coronæ: Græcum enim *ὑπομονή* significat perseverantiam et tolerantiam rei alicujus moleste sub spe et expectatione liberationis aut præmii. Unde Syrus vertit, *Dominus noster dirigit corda vestra in dilectione Dei, et* *למשכבתי לנסובי* *lansoberraimite*, id est *expectatione Meschico* sive Christi: ut scilicet secundum ejus adventum ad judicium, et ad coronandam vestram spem, charitatem et patientiam, longanimiter expectetis; nec, si eum differat, desperetis, sed firmiter credatis, quod ea qua promisit, certo complectur sit. Ita Chrysostomus et Theophylactus, qui addunt: Charitati, inquit, Dei adjunxit Apostolus patientiam, quia hæc est charitas Dei, et hoc est diligere Deum, si propter ipsum patienti sis animo in adversis et persecutionibus, non cieas turbas, non contuberis, sed patienter expectes liberationem et coronam glorie a Christo judice.

6. DOMINUS DIRIGAT VESTRA IN CHARITATE DEI, ET PATIENTIA CHRISTI. — id est per nomen Domini Jesu Christi, id est per ipsum Jesum Christum: « nomen » enim ponitur metonymice pro re nomine significata. Sic sepe in Scripturis dicitur sperandum esse vel invocandum nomen Domini, id est sperandum in Domino, invocandum esse Dominum. Præcipit ergo per Christum, id est Christi nomine, vice, potestate et auctoritate, qua fungebatur quasi legatus, vicarius et Apostolus Christi.

UT SUBTRAHATIS VOS AB OMNI FRATRE (CHRISTIANO) AMBULANTE (CONVERSANTE) INORDINATE. — Græce *ἀτάκτως*, id est in composito, inordinate, turbulente, quod fit dum quis v. g., contemptis legibus publicis et ordine communi, vivere vult suo arbitrato et phantasia in composito et inordinata; *ἀτακτῶν* hic vocat ordinis et disciplinæ turbationem consequentem ex otio, ac consequenter otium ipsum. Sicut enim in castris milites ii, qui solvunt disciplinam militarem, vocantur *ἀτακτοί*: ita a Paulo hic Christiani illi, qui solvunt disciplinam Ecclesiasticam et Christianam, a se quasi duce et Apostolo præscriptam, vocantur *ἀτακτοί*. Et sicut in castris hæc disciplina turbationem inducit otium: milites enim otiosi incipiunt segnescere, luxu diffusers, murmurare, inelamare pecuniam, ordinemque omnem turbare, ac tandem rebellare; ita in Ecclesia Thessalonicensium, et alia quavis, otium multorum pariebat eorumdem curiositatem, curiositas inquietudinem, inquietudo solvebat disciplinam: qui enim otiosi sunt sibi, ergo alios sunt curiosi omnibusque se immiscere volunt, et sic turbant ordinem et omnia.

ET NON SECUNDUM TRADITIONEM, QUAM ACCEPERUNT A NOBIS. — Nota primum traditionis nomen: Græce est *παράδοση*, quod Syrus vertit, *πρῶστα*; Vatablus, *institutionem*: traditio ergo est institutio tradita voce, vel, ut inquit Chrysostomus et Theophylactus, opere; unde sequitur:

7. IPSI ENIM SCITIS QUOMADMODUM OPORTET IMITARI NOS, — q. d. Ego vobis typus et norma vi vendi fui, formam vitæ mea vita vobis præscripsi et tradidi; sequimini ergo institutionem hanc meam, quam non tam per verba, quam per opera vobis tradidi. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

QUONIAM NON INQUIETI FUIMUS INTER VOS. — Græce est idem verbum quod Nosler vers. præced. vertit, *inordinate*, scilicet *ἰρασιμαίως*, id est inordinati, incompositi, turbulenti fuimus; Ambrosius vertit, *non intemperanter* (id est turbulente) *viciniam apud vos*; Noster non verbum verbo, sed sensum reddit, dum vertit, *inquieti fuimus*; nam per hanc ataxiam et inordinationem Apostolus intelligit otium, et ex eo consequentem inquietudinem, omnisque disciplinæ et ordinis turbationem, q. d. Non fuimus apud vos otiosi; ac consequenter nec inquieti, nec turbulenti. « Inordinationem (inquit Chrysostomus et Theophylactus) vocat Paulus otium: Deus enim hoc possit hominem ad laborem, artusque ejus ad hoc exercit; quocirca quietosus est, ob ordine suo deficit et creatione. »

8. NOCTE ET DIE OPERANTES, NE QUEM VESTRUM GRAVAREMUS. — Mechanicum ergo artem exercenit Paulus, puta scenofactoriam, una cum prædicatione Evangelii, ut patet *Actor.* xviii, 3. Unde Origenes, hom. 17 in *Numeros*: Paulus, ait, a faciendis tabernaculis terrenis ad celestia construenda translatus est. Nimirum consuebat tabernacula ex pellibus, quibus milites intenter in castris.

Queres, qua ratione Paulus, cum esset nobilis et sacris Litteris eruditus, mechanicam didicisset?

Respondet, id fecisse ex instituto veterum Rabbinorum: sic enim R. Scemaha et R. Gamalielei, qui sacras Litteras disceant, præscripserunt, ut opificum quoque aliquod manuale addiscerent, tum ut eo victum sibi pararent, tum corporis exercendi et animi a studiis relaxandi causa; addebantque eos, qui illud neglexerent, procliviores ad peccata futuros. Sic R. Johanna sutoriam, R. Juda pistoriam didicit. Sic Carolus Magnus, teste Eginhardo et aliis, in ejus Vita, filios suos mechanicam aliquam et filias suas latinicium vel latinicium discere voluit. Idem hodie nonnulli nobiles faciunt, idque (vni otii et peccatorum vitandorum causa, tum ut, si opus et necessitas inagruat, labore hoc manuum et arte sua victum sibi conquirit. Idem ergo fecit Paulus et alii Apostoli, aliosque ad idem hortati sunt: hæc enim eorum sunt verba apud Clementem, lib. I *Constit.*, cap. lxxvii: « Qui in Ecclesia juvenes estis, curate in omnibus rebus necessariis

Otiosus ab ordine suo deficit et creatione.

Ver. 8. Paulus scenofactoriam unam exercuit.

Rabbi et nobilis soliti erant mechanicam discere.

Optima mechanica

ca sicut sedulo ministrare, cum omni sanctitate operi vestro vacate, ut omni tempore et vobis et egenis suppeditate possitis, ne Ecclesiam Dei oneratis. Etenim nos quoque vacantes verbo Evangelii, sinevacis horas non negligimus: alii enim ex nobis piscatores sunt, alii scenarum artifices, alii agricolae, nequam otiosi simus.» Et de fratribus Domini refert Eusebius, lib. V Hist., xv, ex Hegesippo, coram Domitiano fuisse vocatos, tanquam ex Davidico et regio sanguine prognatos, quos extinguere omnino constituerat. Qui cum manus ostenderent partim obruitas callis, partim laceras mechanico labore, ab omni suspicione rerum novarum sine ulla molestia dimissi sunt.

Idem Christianos sacerdotes et monachos facilitasse non obligationis, sed humilitatis et devotionis spontaneae causa, tradit Epiphanius, heres. 80: «Laborant, inquit, propriis manibus ad impediendum etiam indigentibus; quemadmodum et in singulis monasteriis tum in Aegyptiorum regione, tum in aliis omnibus, sic laborant ad iustitiam (ut scilicet justo lucro, labore suo parto alant se et alios) velut apes, in manibus quidem habentes coram opifici, in ore vero guttas mellis, cum propria hymnifera voce universorum Dominum iuxta proprium sensum laudant.»

Appositum aequae ad iungendum exemplum habetur in *Vitis Patrum*, lib. V, tit. x, num. 27, et apud Rufinum, lib. III, num. 36 de Joanne Brevi, sive *Nano*: «Hic, inquit, dixit aliquando fratri suo: Vellem esse secretus sicut angeli nihil operantes, sed sine intermissione servientes Deo: et spoliatus se quo vestitus erat, abiit in eremum. Et facta ibi hebdomada una, reversus est ad fratrem suum, pulsans osium. Et frater: Quis, ait, es tu? Et ille: Ego sum Joannes. Tum frater: Joannes angelus factus est, et ultra inter homines non est. Ille autem pulsabat, dicens: Ego sum. Et non aperuit ei, sed permisit eum affligi. Postea vero aperiens dixit ei: Si homo es, opus habes operari, ut vivas; si autem angelus es, quid quaeris intrare in cellam? Et ille penitentiam agens, dixit: Ignosce mihi, frater, quia peccavi.» Hinc et Theodosius anachoreta apud Theodoretum, in *Philotico*, cap. x: Absurdum, inquit, est ut scenarales se affligant laboribus pro se, pro principibus, pro pauperibus: «nos autem sedeamus compressis quidem manibus, alienis autem fruamur laboribus.»

Scriptis haec de re S. Augustinus, lib. *De Opera mendicorum*, quo acriter perstringit otiosos ac desichos, qui manibus laborare noluunt. Insulse haec Novantes torquent in Ordines Mendicantes, quasi hi otiosi panem manducant, cum constet s. psalmodiae, orationibus, confessionibus, concionibus alisque piis exercitiis insistere et proximo se impendere, ut recte docet S. Thomas, II, *Quaest.* CLXXXVII, art. 4, 3; S. Bonaventura, lib. *De Paupertate Christi*, ante medium, pag. 1.

Ordines Mendicantes non magis dicuntur otiosi

9. NON QUASI NON HABEREMUS (græce ἔχομεν, id est habemus) ROTEMUS (gravandi vos scilicet sumptu, et a vobis quasi catechumonis meatu alimenta petendi), SED UT NOSMETIPROS FORMAM DAREMUS (græce δίδωμεν, id est damus) VOBIS AD INCITANDUM NOS. — Facile excusati alios Apostolos, qui suo jure utentes in evangelizando a suis accipiebant alimenta, et simul suam abstinentiam ac charitatem exaggerat, quod hoc suo jure deserit cum tanto suo incommodo ad eorum solatium et exemplum.

40. HOC DENUNTIABAMUS (græce κηρύττομεν, id est prædicabamus) VOBIS, QUONIAM SI QUIS NON VULT OPERARI, NEC MANDUCET. — Quia scriptum est *Genes.* cap. III, vers. 19: «In sudore vultus tui vesceris pane tuo.» Qui ergo non laborat pro pane, par est ut non vescatur pane, ac consequenter dignus est qui fame moriatur; qui enim est otiosus, inutile habet esse, ac proinde mæretur non esse: Otium enim, ut ait Seneca, est vivi hominis sepultura. Qui ergo vivens sponte seipsum, ac vigorem et vires suas per otium sepelit, dignus est qui re ipsa moriatur et sepeliatur. Quocirca sapienter S. Ephrem in illud, *Attende tibi*, cap. v: «Ne molestus, ait, sit tibi labor. Disce operari, ut non discas mendicare.» Idem, tract. *De Consermat. saccali*: «Ne fugias laborem, ut non perdas coronam.»

Nota hic locum morale, quam majum, quamque Christiano et civis homini vitandum sit otium, idque multis de causis, quas hic insinuat Apostolus. *Prima* petitur ex ipsa hominis conditione; homo enim natus est ad laborem, *quæ* ad volatum, inquit Sapiens.

Secunda ex aliarum creaturarum exemplis: vide solem et caelos, quomodo nunquam quiescunt, sed perpetua gyratione circumvolvuntur et maxima spatia percurrunt. Vide ignem et elementa quomodo nunquam otiosa, sed semper agunt. Vide equos, boves, asinos quomodo currunt, onera bajulant. Vade ad formicam, o piger, et vide quam sit sedula et laboriosa.

Tertia ex rei convenientia, atque ex lege et voluntate Dei. Deus enim non frustra nobis manus et vires dedit, sed voluit eis nos uti et operari. «Deus, inquit S. Basilus in *Regulis fustor.* reg. 27, qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, is in die iudicii perem quoque a nobis in laborando industriam respiciet.» Hinc Theostochos dicere solebat, «otium et desidiam esse vivi hominis sepulturam;» cumque ipse moretetur, annum agens centesimum septimum, indoluit, dictitans se tunc mori cum inciperet sapere et sapienter operari. Hinc et laudatur mulier illa fortis et strenua, *Proverb.* XXXI, quod panem otiosa non comederit: «Quæsitiv, inquit, lanam et linum, et operata est consilio (id est opera et industria) manuum suarum: facta est quasi navis insectoris, de longe portans panem suum, et de nocte surrexit, deditque prædam (Hebraicum חַרְצֵרֶת

Ver. 14.

Locus moralis de vitando otio, quæ ad volatum, inquit Sapiens.

Locus figuratus canticæ.

significat quemlibet cibum, metaphora sumpta a leonibus, quorum omnis cibum predando acquirunt) domesticis suis et cibaria ancillis suis: accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachia suorum manuum suam misit ad fortia, et digiti ejus appenderunt fuscum. Hinc premium laboris sui quoque retulit, nam a de fructu (id est labore, lucro) manuum suarum plantavit vineam. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum ejus: nobilis in portis vir ejus; sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit (vendidit) Chananaeo (mercatori): fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo.»

Quarta ex merito et præmio: presens enim tempus laboris est, futurum tempus erit præmii. «Dies iste, inquit auctor *Imperfecti*, hom. 39, dies est operationis; dies autem ille qui sequitur (æternitatis beate), feriarum est.» Quinta ex effectu otii. «Multam militiam decuit otiositas,» inquit *Ecclesiasticus*, XXXIII, 29; et *Ezech.* XVI, 49: «Hæc, inquit, fuit iniquitas Sodome, superbia, saturitas panis, et otium ipsius, et filiarum ejus, et manum egeno et pauperi non porrigebant.» Nam, ut ait Ovidius:

Otia si tollas, perire Capitulum arcus.

Et rursum:

Quæritur, «Ergo quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat.»

Et alius: «Otium corpus, mentem necat socordia, exercitatio vero utrumque pulcherrimum facit.» «Otio, ait S. Augustinus, lib. *I De Civit.*, perit Roma, deleta Carthagine.» Hinc et Cleomones rogatus cur Lacedæmonii Argivos hostes suos non delerent, respondit: «Cos, inquit, sunt juvenitus nostræ.»

Rationem dat Chrysostomus, hom. 7 in *II ad Corinthios*: «Sicut, inquit, terra non occupata semente aut consilione quamlibet herbam producit: sic et anima, quoties non habet quod agat rerum necessarium, cum omnino cupiat aliquid agere, pravis actionibus semet tradit. Et quemadmodum oculus non desinit cernere, atque ob hoc cernit mala, si quando bona non sint objecta: sic et cogitatio quoties se abducit et necessariis, circa inutilia jam versatur: nam undequaque perspicuum est, quod occupatio ac sollicitudo valet primum incuriam repellere.» Hinc S. Antonius a Deo auditur: «Antoni, quaeris Deo placere? ora, et dum orare non poteris, manibus labora et semper aliquid facito. Quamdiu David exercuit se in militia, non insultavit illi luxuria; sed postquam otiosus in domo remansit, laboravit adulterio, et homicidium commisit. Samson dum cum Philisteis pugnavit, non potuit capi ab hostibus; sed postquam dormivit in sinu feminae et

otiose cum ea remansit, mox captus et cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in modificatione templi, non sensit luxuriam; sed mox recedens ab opere pensavit insulsum luxurie, et adoravit vitulum aureum.»

Denique Chrysostomus, hom. 33 in *Acta Apostolorum*: «Quis, inquit, utilior est, is qui in delictis, vel qui exerceat? Que navis, ea que navigat, vel ea que in litore manet? Quæ aqua, eam que fluit, vel que stat? Quod ferrum, an quod movetur, vel quo nemo utitur? nonne illud quidem splendet, ac argenteo simile est, hoc autem rubigine consumitur, et ubique inutile est? Tale quiddam fit etiam in otiosa anima. Rubigo enim quedam apprehendit illam et consumit splendorem ac alia omnia.» Deinde pergit Chrysostomus graphice otiosi hominis inertiam et turpitudinem depingere.

11. ADIVIVAM (græce ἀδρανῆς, id est otiosus) ENIM INTER VOS QUOSDAM AMBULARE INQUIET (græce ἀκίνητος, id est inordinate, inconstitutus, de quo dixi vers. 6), NIHIL OPERANTES, SED CURIOSE AGENTES. — Cum enim, inquit ex Chrysostomo Theophylactus, mens nostra mobilis sit (et quasi molandinum quod semper volvitur, et molit vel farinam, vel seipsum), necesse est, si frugiferum opus non agrediat, ut infrugiferum et inutile attemptet, adeoque aliorum vitas otiose scrutetur, hincque ad obtræctationem vitasque nugæ deferatur. Hinc vere dicit Cato: «Nihil agendo male agere discimus; atque e contrario, semper agendo bene agere discimus.» Ita narrat poeta, Dianam virginis perpetuam servasse, eo quod nunquam otiosa fuerit, quodque in montibus vix ita et occupata semper fuerit.

In Græco pulchra est paronomasia: τὸ ἐργάζεσθαι, id est non agentes, sed non agentes, sed satagentes. Sic Tullius refert Domitium Africum dixisse de Sura Manlio, cum non agere, sed satagere, eo quod agendo tumultuaretur: agit enim qui suo fungitur officio; satagit qui vehementer, sed frustra molitur, inquit Brissmus. Est etiam antithesis: ἐργάζεσθαι enim qui operatur frugifera, ἀδρανῆς, qui infrugifera, supervacua, inutilia, parerga et nihil ad rem pertinentia, agit et operatur. Quales sunt otiosi et curiosi, qui vacant et avent singulorum facta audire, narrare, judicare, carpere: qui cum nihil agant, satagunt tamen, carpere et incitant quosque ut faciant, turbent et movent ea, que sunt phantasiæ inquietæ et turbulenta faciendi et mandanda videtur. Observat S. Hieronymus in cap. III *Galat.* 1, Apostolum sæpe suis litteris propria gentis ad quam scribit, tam sua vitia quam vitia denotare, addidit ad sua vitia que tempora videtur gentes illas obnoxias fuisse.

«Sic, ait Hieronymus, notat Apostolus Romanæ plebis fidem, facilitatem, superbiam; Corinthi mulieres infecto capite, viros comam nutrites, indifferenter vescentes in templis, inflatis scientia sæculari; Macedones in charitate laudati, in her-

Otiosus hominis inertia et turpitudinis.

Mens non agentes, sed satagentes.

Otiosorum et curiosorum magna vitia et turpia.

pitallitate ac susceptione fratrum; sed reprehendit ut otiosos, alienum cibum expectantes. » Et hæc non magis docentis officio, quam gentis virtute aut vitio admonet.

Rursum nota : Docet hic Apostolus homines otiosos esse curiosos, garrulos, diceas; non agere, sed satagere : negotiosos vero, ut subdit, in silentio panem suum manducare, eosque multa agere, sed pauca, eaque cordata loqui. Illos hirundinibus, hos cyenis comparat Nazianzenus, epist. ad Celeusium. Cum enim a Celeusio argueretur Nazianzenus nimii silentii, quasi natura taciturnior, hoc apologo festive respondit : « Cyenos, ait, olim cavillabantur hirundines, quod nec cum aliis, hominibus versari, nec publice, sed circa prata et flumina tantum sibiipsis canere vellent : contra, Nostræ, inquietant, sunt urbes, garritque nostro mortales delinimus. At cyeni earum garrulitate offensi, vix quidem eas dignas duxerunt quas alloquerentur. Ut autem eo adducti sunt : At, o præclara, inquit, in solitudinem non nemo concesserit, ut musicam nostram audiat : cum zephyro pennas nostras inflandas permisimus, etsi non multum, jucundum tamen quiddam et concinnum modulamur. Vos vero et in ædes admissas fastidium homines, et canentes aversantur, quippe quæ avium sitis loquacissimæ, et ne excisa quidem lingua silere valeatis. Proinde si meam, ait Nazianzenus, quoque taciturnitatem facundia tua præstantiorem compereris, silentio nostro obtrectare desines. »

12. **IS QUI REUSMODI SUNT, DENUNTIAMUS** (παρηγοροῦμεν, id est præcipimus) ET OBSECRAMUS IN DOMINO JESU CHRISTO, — id est per Dominum Jesum Christum. Nota : Pro obsecramus, græce est παρακαλοῦμεν, quod primo, significat hortamur; secundo, obsecramus vel obtestamur. Idque huic loco aptius convenit : præcepto enim miscet Apostolus preces, ut mitiget præcepti severitatem; neve vel præcipientis auctoritas, vel obsecrantis bonitas contemnatur, addit : « In Domino Jesu Christo. »

Ut cum silentio (μετὰ τρυφῆς, id est cum quiete : ita Syrus et Vatablus) OPERANTES SUUM PANEM (τὸν ἰσθμὸν ἄρτου, id est suum ipsorum panem, non alienum) MANDUCENT. — Non enim, inquit Theophylactus, oportet eos defigere oculos in alienas manus, sed suum panem, id est sua manu et labore partum, comedere.

Fuse hunc locum tractat Cassianus, lib. X, qui est de Acedia, cap. vii et seq., ubi cap. xxiii, ait : « Operantem monachum demone uno pulsari, otiosum vero ab innumeris spiritibus devastari. » Et cap. xxv, ex abbate Mose ait : « Experimento probatum est aecia, impugnationem non declinando fugiendam (sic enim acrius nos invadet), sed resistendo superandam esse. » Secus est in tentatione luxurie : hæc enim fuga occasionum et illecebrarum superanda est.

13. **VOS AUTEM NOLITE DEFICERE BENEFICIENTES.** — Otiosos et inquietos hactenus allocutus est et

instruxit Apostolus; jam ad ipsum corpus Ecclesie Thessalonicensis sermonem convertit, g. d. De vobis, o Thessalonicenses Christiani, meliora confido et scio, scilicet vos, paucis exceptis, nativam indolem et pronitatem ad otium per Christi fidem et gratiam commutasse, jamque non esse otiosos et inquietos, sed operari et benefacere. Hergo ert ut ita pergatis, nec deficiatis (μη τὰ νύκτα, id est non segnescatis, non delasemini) beneficiendo, omnibusque charitatem exhibendo, etiam pigris illis et otiosis : a quibus licet vers. seq. et vers. 6, jubeam ut vos subtrahatis, ad eorum confusionem et emendationem; tamen nolo ut eos fame interire, aut gravi inopia premi sinatis. Ita Theophylactus.

14. **SI QUIS NON OREDIT VERBO NOSTRO PER EPISTOLAM** (monitis scilicet et præceptis meis, quæ hæc epistola præscribo. S. Chrysostomus pro τῆς ἐπιστολῆς, id est vestro, q. d. Si quis non obedit vobis dicentibus et monentibus eæ quæ præscribo), HUNC NOTATE (σημαίνειτε, id est signate, ut signantur boves cornupeta, inquit Erasmus) ET NE COMMISCEAMINI. — Id est, ut Syrus, nolite conversari et commercium habere cum illo, ut confundatur; ut scilicet videns se ab omnibus vitari et negligi, pudeat, pœniteat et corrigatur.

15. **CORRIPITE UT FRATREM.** — Græce νουθετεῖτε, id est admonete, et quasi mentem quam amisit, reddite ac reponite; Ambrosius legit, monete censuræ.

16. **IPSE AUTEM DOMINUS PACIS** (Deus fons, auctor et amator pacis) DET VOBIS PACEM SEMPERNAM (δὴα πᾶντο, id est semper, perpetuo) IN OMNI LOCO. — In Græco duplex est lectio, prior ἐν παντί τῷ τόπῳ, id est in omni modo, hoc est, omnimodam, in omni negotio, puta in omnibus sententiis, dictis et factis pacem : uti explicat Theophylactus. Posterior, ἐν παντί τῷ τόπῳ, id est, in omni loco, et sic legit Noster, Ambrosius, Chrysostomus et alii, esque aptior; optat enim ut eis Deus det pacem semper et ubique, id est in omni tempore et loco.

17. **SALUTATIO, MEA MANU PAULI,** — g. d. Salutationem hanc, quæ vos salutem ego Paulus, mea manu subscribo. Salutatio autem est oratio quæ sequitur, scilicet : « Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. » Docet Apostolus salutationes nostras debere esse non nuda amicitie symbola, sed orationes cum lucro spirituali conjunctas. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

QUOD EST SIGNUM (MEUM) IN HUIUS EPISTOLA, ITA SCRIBO. — Uti nos epistolis Vale subscribimus, ita Apostolus subscribit :

18. **GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUM OMNIBUS VOBIS. AMEN.** — Hoc enim hactenus omnibus ejus epistolis subscriptum invenitur. Hæc ergo sententia quasi signo dignosci vult suas epistolas ab epistolis supposititis pseudoapo. tororum. Ita

Frederetus. Nam relativum quod respicit vocem salutatio; hæc enim est signum, quod hic ponit salutatio autem hæc, ut dixi, est quæ sequitur. Gratia Domini nostri Jesu, etc. » Secundo, salutatio hæc videtur esse tota manus Pauli, 1 est totum quod sua manu subscripsit hic Paulus, g. d. Ne aliquis suas litteras mihi supponat, uti aliquos fecisse dixi cap. ii, vers. 2, en ego mea manu subscribo, ut tum ex sententia mea jam dicta, tum ex scriptura, meam esse epistolam. non addu-

terinam agnoscat. Forte fuit hic etiam aliquis character subscriptus a Paulo, ut hoc vocet signum suum : sicut jam multi signum manus, ut vocant, per certos gyros, quos non facile sit imitari, sub litteris suis delineant, ut iis ad quos scribunt, constet epistolam esse genuinam, non supposititiam.

Da nobis, Domine, non deficere beneficiendo, da pacem sempiternam, da teipsum : quia tu es æternitas pacis, gaudiorum et honorum omnium Amen.

AD TIMOTHEUM

ARGUMENTUM.

Paulus Epheso, a fabricis Dianæ pulsus, ivit in Macedoniam et Græciam, Act. xx, 4, relicto tamen Ephesi Timotheo, ut patet hic cap. 1, vers. 3, ut scilicet semina prædicationis Evangelicæ a se jacta foveret et extolleret. Unde Timotheus, ob egregias animi dotes, adhuc adolescens a Paulo creatus fuit primus Ephesi (inquit Eusebius, lib. III *Hist.*, iv) Episcopus, imo Archiepiscopus; jubet enim illi Apostolus, ut per alias urbes Episcopus constituat et ordinet, quod est Archiepiscopi. Erat enim Timotheus, licet patre Græco et Gentili natus, a matre tamen Judæa et Christiana (cui Eunice nomen erat) in Christi fide educatus, ideoque probe indolis et a puero in sacris Litteris eruditus, zelosus pro fide, pro qua et martyr Ephesi occubuit. Fuit et virgo per omnem vitam: unde S. Ignatius, epist. ad *Philadelphenses*, Timotheum inter virgines virosque sanctissimos annumerat: « Ulinam, inquit, fruatur vestra sanctitate, sicut Elise, sicut Jesu Nave, sicut Melchisedech, Elisei, Jeremie, Joannis Baptiste, dilecti illius discipuli, sicut Timothei, Titi, Evodii, Clementis, qui in castitate de vita exierunt! » Hæc ergo de causa creavit cum Paulus primum Ephesi Episcopus; eumque Ephesus fuerit metropolis omnium Asiæ Minoris Ecclesiarum, sequitur eandem Primatem fuisse Timotheum.

Atque hæc de causa, Apoc. ii, Christus præ aliis omnibus alloquitur angelum (id est Episcopum) Ephesi, quem hunc eundem fuisse Timotheum, licet aliqui cum Ribera ibidem negent, verisimilius tamen asserunt Lyranus (qui ait hæc esse communem sententiam), Aureolus, Pererius, Viſſas ibidem, Magallianus hic, Baronius et alii. Idque patet ex eo quod Timotheus hoc tempore primus fuerit creatus Ephesi Episcopus, sederitque ac vixerit post scriptum Apocalypsin, uti passim docent veteres, ac satis convincit S. Dionysius, qui post S. Joannem scripsit, et plerosque sæculos libros huic Timotheo inscripsit. Imo Baronius putat Timotheum sedisse Ephesi et vixisse post S. Joannem ad annum Christi 109, tuncque martyrio perfunctum, successorem habuisse One-

simum, cujus, quasi jam inchoantis Episcopatu Ephesinum, meminit S. Ignatius scribens hoc eodem anno Christi 109, ad Ephesios, ubi et meminit hujus Timothei, eumque vocat fidelissimum. Sic ergo angelum, id est Episcopum, Ephesi, Timotheum scilicet hunc laudat Christus, Apoc. ii, 2: « Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos; et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos et non sunt, et invenisti eos mendaces; et patientiam habes, et sustinisti propter nomen meum, et non defecisti; sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. » Nimirum etiam Sancti sensum tum in se, tum in Ecclesia sua nervos contrahunt, quibus primæ conversionis fervor intereicit, præsertim tot annis, in tantis laboribus et difficultatibus; jam enim cum hæc scriberet Joannes, facile Timotheus 40 annos Epheso præfuerat Episcopus. Hæc enim epistola Pauli ad Timotheum, Ephesi Episcopum, scripta est anno Christi 57. Joannes vero Apocalypsin, ac consequenter illa cap. ii ad angelum Ephesi, id est ad Timotheum, scribit anno Christi 98, sub finem imperii Domitiani: illo enim tempore scriptam esse Apocalypsin docet Irenæus, lib. V, et ex eo Baronius. Sed hunc temporem, monitis verbis Apocalypseo, correxit Timotheus. Unde fervoris sui et fervidæ prædicationis ac reprehensionis cultorum Dianæ, premium tulit martyrium, ut habent Menologia 24 januarii.

Hunc ergo juvenem Episcopum, imo Archiepiscopum, a se creatum hæc epistola Paulus instruit et monet:

Primo, muneris Episcopalis, ut rejectis genealogiis et fabulis Judaicis, doceat ea quæ fidem et charitatem excitent.

Secundo, cap. ii, jubet orari pro principibus licet Ethnicis, ut sub eis vitam tranquillam e quietam agant. Deinde eodem capite docet quid viros deceat, quid mulieres, præsertim in Ecclesia.

Tertio, cap. iii, recenset virtutes requisitas in Episcopo, docetque quales, quam eximios et exploratos debeat eligere et ordinare Ecclesiam

ministros, puta Episcopos, Pastores, Diaconos.

Quarto, cap. iv, superstitiosum Encratitarum et Mareonitarum ciborum delectam, et conjugii vituperium, aliasque fabulas vitari jubet. Deinde monet, ut juventuti suæ, sanctitate morum, studio et doctrina, auctoritatem conciliet atque sit exemplo.

Quinto, cap. v, præscribit quomodo menendi sint senes, juvenes, anus, juvenula, agilque de viduis senioribus Ecclesiæ et presbyteris qui Ecclesiæ præsunt, alendis, ac juniores viduas caute tractandas esse admonet.

Sexto, cap. vi, docet, quid servi dominis debeant. Deinde quod veræ divitiæ site sint, non in auro et argento, sed in pietate et virtutibus; quodque divites in divitiarum vanitate confidere vitare debeant. Denique repetit et inculcat, ut nova dogmata vitet, servetque fidem et doctrinam sibi quasi depositum traditam et commissam.

Sæpius hæc epistola pingit et perstringit suborientes tunc hæreses Simonis. Unde hæc epistola ex parte scripta est contra Simonianos, uti et epistola ad Ephesios, quorum Episcopus erat Timotheus (1).

(1) Utraque ad Timotheum epistola, nec non unica ad Titum, jam ab antiquo epistolæ pastorales nuncupata sunt, ob res in iis tractatas.

Scriptam vult hæc epistolam Baronius, cum Athanasio in *Synopsi*, et Theodoro, præfat in *Epistolas S. Pauli*, e Macedonia post primam ad Corinthios, anno Christi 57, qui fuit Neronis primus, idque ex eo, quod cap. i, 3, dicit Paulus: « Rogavi te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam. » Sed hæc verba non urgent, nec significant hæc epistolam esse in Macedonia scriptam. Unde Græca et Syra in fine Epistolæ habent eam scriptam esse Laodicæ, quæ est metropolis Phrygiæ Pacatiana, estque hæc communior sententia, etiam Theodoretum in fine hujus epistolæ, ubi sententiam suam priorem jam dictam mutat. Scripsit in hæc epistolam, et duas sequentes recenter Ludovicus Soto Major, et Magallianus noster fuso et floride, reque ac nuper Joannes Hessels, Lovaniensis doctor (2).

(2) De tempore quo hæc epistola scripta sit, et unde sit missa, certa vit eoustat. Vid. D. Glaire, op. cit. tom. VI, p. 164; Haneberg, op. cit. viii part. cap. ii, 18-19. Nobis verosimilior est eorum sententia, qui hæc e Macedonia, ann. Christi 57, junio inemptam esse putant. Chronicon Actis apostolorum præfixum.

Epistolæ autem *authentiam*, contra Schleiermacher gravissimis argumentis firmant W. Paley, in *Horæ Paulinæ*; Planck, s. in *Bemerk. über d. erste Paulin. Briefe an d.*; D. Glaire, op. cit. tom. VI, p. 165.